« *insipientiam mihi.* Ad quod respondendum, quod « hoc intelligendum sit de petitione Christi secun- « dum quid, scilicet de oratione ejus, quæ impro- « prie appellatur oratio et ex sensitivo appetitu ori- « ginem sumpsit. » Potest quoque dici, quod inter alias pœnas peccato debitas una sit, quod scilicet indignum reddat peccatorem, qui exaudiatur, juxta illud Psalmi [1] : *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* In hac autem oratione Filius Dei æterno Patri suo repræsentabatur in similitudine peccatoris, omnium peccatorum nostrorum pondere pressi; quid igitur mirum, si exauditus non fuerit? Cæterum veritas est, quod tametsi exauditus non fuerit quoad sonum exteriorum verborum quæ protulit, ei tamen concessum fuerit, quicquid ardenter desiderabat, scilicet paternæ voluntatis adimpletionem, in qua omnem orationum suarum efficaciam reposuit, utpote qui dixit [2] : *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.* Nec est quod dicas, ipsum non fuisse exauditum, eo quod non evenerit quod postulabat, quia postulatio vocalis a naturali et sensitiva, non vero rationali procedebat voluntate. Id quod sequenti declaratur exemplo. Quando enim vehemens in mari exsurgit tempestas, per quam navis in manifestum redigitur submersionis periculum, nautæ, ad salvandam vitam suam, merces quidem in mare projiciunt, sed renitente voluntate. Christus quidem generis humani volebat redemptionem, ad illam vero consummandam mors ejus desiderabatur, quam volebat efficaciter, quamvis ex alia parte ipsius, utpote humanitate nostra induti, voluntas naturalis recalcitraret, eique se opponeret. Quia tamen in judicii sui trutina pluris valebat et æstimabatur salus universalis, hæc timori mortis prævaluit, quem nostra in ipso fragilitas exhibebat. Quando igitur æterno Patri suo dixit : *Non mea, sed tua voluntas fiat*, verbum, *mea*, voluntatis naturalis et sensitivæ indicativum erat, quæ naturæ nostræ adhærescebat. Dionysius Carthusianus verba illa : *Non mea, sed tua voluntas fiat*, hunc sensum habere dicit [3] : « Id est, non impleatur, quod secundum sen- « sitivam affectionem desidero, sed quod tu vis; « unde de voluntate inferiori et sensitiva hoc dicit, « secundum quam abhorruit mortem. » Idem Carthusianus super Matthæum in hæc verba scripserat [4] : « Voluntas animæ Christi non fuit divinæ « voluntati contraria, imo nec voluntas ejus natu- « ralis, seu appetitus inferior fuit rationi rebellis, « sive repugnans. Quamvis enim desideravit non « pati, hoc tamen non fuit contra rationem, sed « ratio imperavit hoc appetitui inferiori naturali, « ut secundum suam naturam moveretur; quod et « fecit, et ratione jubente facere mox cessavit. » Rabanus ad idem propositum ita scribit [1] : « Appro- « pinquans passioni Salvator, infirmantium in se « vocem assumpsit, dicens : Pater, si vis, transfer « calicem istum a me; eorumque timorem, ut « abstraheret, suscepit, et rursum, per obedientiam « fortitudinem mentis ostendens, ait : *Verumtamen « non mea voluntas, sed tua fiat*; ut cum hoc im- « minet, quod fieri nolumus, sic per infirmitatem « petamus, ut non fiat, quatenus per formitudinem « parati simus, ut voluntas conditoris nostri etiam « contra nostram voluntatem fiat. Quid erat illa « vox, nisi sonus infirmitatis nostræ? » Hanc autem vocem Redemptor non attendebat, sed illam *Fiat voluntas tua.*

9. — *Orabat, dicens*, etc. In hac oratione fideles pariter docere voluit, quod quando tentationes et insultus inimici nos quam maxime infestant, nostrum ad hoc præsidium habere debeamus recursum : « Audiamus vocem Dei monentem, » inquit Chrysologus [2] : « *Orate, ne intretis in tentationem.* « In tentationem vadit, qui ad orationem non « vadit. » Theophylactus super Matthæum ita scribit [3] : « Ex hoc discimus, ne nos ipsi in tenta- « tionem injiciamus, sed precemur ut liberemur « ab eis. Et propterea non longa distantia a disci- « pulis progreditur, sed prope tres discipulos ma- « net, ut audientes eum, memores sint, ut et ipsi « in tentationibus precentur similiter. » Forsitan Apostoli Magistrum suum nunquam deseruissent, si simul cum ipso orassent et vigilassent : *Orate, ut non intretis in tentationem.* At vero dices fortasse : ergone inefficax fuit ejus oratio; ut discipulos suos, eorumque fragilitatem conservaret, ne timoris impetu dilaberentur? Respondetur Christi orationem in hoc salutis nostræ negotio nostram quoque cooperationem desiderare; nam *qui creavit te sine te, non salvabit te sine te.* Ipsi autem licet audissent, Christum dicentem [4] : *Ecce Satanas expetivit, ut cribraret vos sicut triticum*, licet Magistrum suum vidissent in agonia positum et sanguineo sudore perfusum, nihilominus a somno se vinci permittebant.

DISCURSUS XIV.

CUR CHRISTUS POST EXHIBITUM DISCIPULIS TAM ARDENS PATIENDI DESIDERIUM, PATREM NIHILOMINUS ROGAVERIT, DICENS : *Transeat a me calix iste.*

IDEA SERMONIS. — 1. An Christus dubitaverit calicem passionis a se transire posse, an non posse. — 2. Humana voluntas in Christo naturaliter horrebat mortem. Adducitur causa quare Christus se invitum ostendit ad bibendum calicem passionis. — 3. Christus exhorruit ad bibendum calicem passionis ut se verum hominem ostenderet. — 4. Christus secundum appetitum naturalem et sensitivum petiit ut calix transiret. Voluit etiam suo exemplo nos animare ad simile. — 5. Christus per omnia voluit nobis esse similis. — 6. Christus petit ut calix a Judæis ipsi propinatus, transiret, et hoc ex compassione erga illos. — 7. Acceptavit tamen Passionis calicem propter salutem humani generis.

Pater mi, si possibile, transeat a me calix iste.
Matth., XXVI, 34.

1. — S. Joannes Chrysostomus hanc admirans Christi nauseam, qua sua huic calici labia admovere fastidiebat quantumvis eumdem prius tam ardenter desiderasset, in hunc modum discurrit [1] : « Quid « ait? Ignorat, sitne hoc possibile, an non possi- « bile? Quis hoc dicat? Nam hæc additio, si, dubi- « tantis est. Verum ut dixi, non oportet verbis « adhærere, sed ad sensa converti, et scopum nosse « dicentis et causam et occasionem, omnibusque « collectis, sensum in eis latentem indagare. Inef- « fabilis ergo sapientia Filii, qui Patrem ita novit, « ut Filium novit Pater, qui potuit hoc ignorare? » Idem S. Doctor per multa veteris Testamenti loca, vaticinia, mysteria inevitabilis passionis suæ manifestare contendit, eaque in Filio Dei vere adimplenda fuisse, eidem nequaquam fuisse ignotum dicit; ac proinde in hæc verba interrogat : « Qui « hæc illis dicenda mandavit, ipse ignorat? Non « solum ignorasse reperietur, sed etiam crucem « recusasse, hæc namque verborum istorum est « sententia; si licet, ne subeam crucem. Tametsi « Petrum Apostolorum principem hoc ipsum di- « centem : *Propitius tibi esto, Domine, non erit « tibi hoc*, adeo vehementer increpavit, ut diceret : « *Vade post me Satana, scandalum es mihi, quia non « sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum*; idque « cum beatum illum paulo ante prædicasset. Verum « adeo videbatur absurdum esse non crucifigi, ut « illum qui a Patre revelationem acceperat, qui « beatus dictus fuerat, cui cœlorum claves traditæ « fuerant, Satanam appellaret et scandalum, ac « tanquam ea quæ Dei sint, minime sapientem « accusaret, propterea quod dixerat : *Propitius tibi « esto, non erit tibi hoc, ut crucifigaris.* » Enimvero quisnam in dubium revocare poterit, quin Petrus eximiam habuerit divinitatis scientiam, qui inter omnes alios incarnatæ Sapientiæ discipulos præclaram illam emiserat fidei confessionem : *Tu es Christus Filius Dei vivi*? Idem Chrysostomus in eodem sermone prolixum pergit contexere innumerabilium bonorum catalogum, quæ ex passione Redemptoris resultatura erant, ut eorum consideratione indulcoret et mitiget nauseam, qua nauseabundum illum calicem aversabatur; ait enim : « Tanta nobis « beneficia per crucis bona obvenerunt et obve- « niunt, et non vult crucifigi? Si nolebat, quis eum « cogebat? Quis ei vim inferebat? Quod si nolebat, « num difficile fuit, ad hoc venientes prohibere? » S. Ambrosius sanctam quamdam in Christo admiratur impatientiam, non ex eo ortam, quod morti et tormentis occurrendum ei esset, sed quia hæc plus nimium differebantur; simulque hæc enumerat ardentissimæ hunc calicem bibendi voluntatis suæ indicia, inquiens [1] : « Quam constanter « morti se obtulerit, consequentia declarant, quan- « doquidem quærentibus occurrit, turbatos confir- « mavit, trepidos provocavit, proditorem osculi « dignatione suscepit. » Unico duntaxat verbo turbas armatas in terram prostravit, semetipsum illis quis esset, indicavit et sponte propria occurrit; imo Petrum mortem subeundam ei dissuadere volentem his verbis reprehendit : *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Qua igitur ratione Redemptor æterno Patri suo dicere potest : *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste?*

2. — Dubium hoc D. Chrysostomus his verbis resolvit : « Si homo erat, oportebat eum pati quæ « hominis sunt. Quænam autem ista sunt? Ut ni- « mirum qui crucifigendus erat, formidaret. » Salmeron quamdam affert doctrinam, quæ in hac materia totam explanat difficultatem; ait enim [2] : « Adverte, quod præter divinam in Christo volun- « tatem, erat et voluntas humana, quæ tripliciter « distinguitur, eo quod triplicem actum habeat; in « eo enim quod se rationi conformat dicitur volun- « tas rationis; in eo quod sui conservationem « quærit et procul a se omnem læsionem pellere « nititur, dicitur voluntas naturæ. Est enim natu- « rale cuique rei seipsam conservare et resistere « contrariis. In eo autem quod tristatur ob dolo- « rem capitis, vel membri alicujus læsionem, dici- « tur voluntas sensus. Ut si pro salute corporis « conservanda, alicui sit membrum aliquod abscin- « dendum; appetitus naturæ, cujus officium est « omnia membra conservare, nollet abscissionem, « atque illi repugnaret; appetitus vero sensitivus « propter dolorem maximum in continui divisione « horreret maxime et fugeret talem abscissionem; « tamen voluntas rationis videns non aliter totius « corporis posse salutem constare, eligit membrum « noxium igne et ferro præcidi. Nec hoc est volun- « tati voluntatem repugnare, vel sensum rationi, « quia est motus cujusque facultatis naturalis. « Natura enim et sensus in homine, etiam perfec- « tissimo et deliberato pro Christo mortem oppe- « tere, naturali instinctu horret dolores et mor- « tem. Illa tamen, id est natura et sensus, subjici « debent deliberationi rationis. Quia ergo in Christo

[1] *Ps.* LXV, 10. — [2] JOAN., VI, 38. — [3] HEBR., X, 7. — [4] DIO. CARTH., *in Luc.* — [5] ID., *in Matt.*

[1] RABAN., *ib.* — [2] CHRYSOL., S. 43. — [3] THEOPHYL., *in Matt.* — [4] LUC., XXII, 31.

[1] CHRYSOST., S. 8.

[1] S. AMBR., *in Luc.* — [2] SALMER. *ib.*

« facultates sinebantur agere, quod proprium cu-
« juscumque erat munus, idcirco sicut ratione
« superiori deliberate mortem sitiebat et pro mundi
« redemptione amabat; ita natura Christi et sensus
« delicatissimus in eo naturaliter mortem horre-
« bat. » Unde in hac occasione dici poterat omnino oppositum illius, quod olim Isaac dixit[1] : *Vox quidem vox Jacob est, manus autem Esau;* quia vox potius Esau erat, id est hujus nostri appetitus sensitivi, qui naturæ nostræ ab ipso assumptæ conjunctus erat; manus autem erant Jacob, id est intentio; et voluntas ad hunc calicem bibendum resoluta erat. Causa autem propter quam ad calicem illum bibendum adeo se invitum esse ostendit, a Cajetano quoque his verbis indicatur[2] : « Duo
« simul in hoc opere Jesus effecit : alterum est,
« quod se verum hominem esse, verum animum
« passibilem habere et animum facere in eo suum
« officium contestatus est. Alterum est, quod cru-
« ciatum propassionis adjicere cruciatui passionis
« suæ voluit, ita quod voluit non solum pati exte-
« rius crucem et mortem, sed etiam interius pro-
« venire cruciatum meditationis, tristitiæ et timo-
« ris futuræ passionis, ac mortis, ut omnia nostra
« mala experiretur. » Filius igitur Dei naturam hanc humanam a se assumptam aperte manifestari voluit, ut sciretur, naturam divinam, naturam humanam nequaquam fuisse tutatam, ut tormenta et dolores, quibus in Passione sua erat afficiendus, minus sentiret : « Humanæ naturæ est timere
« mortem, » inquit Theophylactus[3], « eo quod
« præter naturam ingressa est mors et propterea
« illam fugit natura. » At vero prouti Hugo Cardinalis notat[4] : « Naturalis illi horror non potuit
« rationem ab ordine suo exorbitare. Sicut aliquis
« in die jejuniorum ex natura humanæ fragilitatis
« summo mane esurit et appetit et vult comedere;
« idipsum tamen non vult de ratione, nec aliquo
« pacto id facere. » S. Bernardinus renitentiam hanc resolutæ patiendi voluntati minime conformem fuisse his verbis dicit[5]: « Calicis tamen amotio
« petebatur et dicebatur nolle bibere, quod anxio
« desiderio sitiebat. Ut homo quidem dicebat nolle
« bibere, sed prout ratio superiori obediebat veri-
« tati, prompto animo esuriebat; propterea subdit:
« *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicuttu vis.* »

3. — Lucas Brugensis dubium quoddam movet, quod reflexionem meretur; ait enim : « Quare
« Christus Dominus sic contexuit hanc orationem,
« ut prius quidem desiderium voluntatis naturalis,
« posterius demum rationis exprimeret? Quare
« mox suppresso desiderio naturali, rationis desi-
« derium explicuit, Patrique obtulit in odorem
« suavitatis? » Redemptor noster jam de facto calicem hunc labiis suis admovere et exhaurire decreverat; hocque suo inevitabili decreto supposito, impossibile esse sciebat, quod illum non biberet; quare igitur dixit : *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste?* Idem auctor per ea, quæ hactenus diximus, difficultatem resolvit inquiens : « Ut se
« verum hominem declaret, qui passionem non
« absque dolore et acerbitate sit toleraturus, cui
« tamen non placeat passio propter se, aut propter
« acerbitatem suam, tanquam finem præcipuum;
« hac consideratione deprecatur eam, ut naturæ
« humanæ inimicam, quam considerata Patris vo-
« luntate et obedientiæ virtute expetit, atque am-
« plectitur. » S. Leo Magnus, in serm. v *de Passione*, de hoc puncto tractans, velut ex cathedra Petri in hæc verba pronunciat[1] : « Patri supplicans, ait :
« *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste,*
« *verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.*
« Prima petitio infirmitatis est, secunda virtutis;
« illud optavit ex nostro, hoc elegit ex proprio.
« Nec enim æqualis patri filius omnia esse possi-
« bilia Deo nesciebat, aut ad suscipiendam crucem
« sine sua in hunc mundum descenderat voluntate,
« ut hanc diversarum affectionum compugnantiam
« perturbata quodammodo ratione pateretur; sed
« ut suscipientis, susceptæque naturæ esset mani-
« festa distinctio, quod erat hominis; divinam de-
« sideravit potentiam, quod erat Dei, ad causam
« respexit humanam. Superiori igitur voluntati
« voluntas cessit inferior et cito demonstratum est,
« quid possit a trepidante orari, et quid non debea
« a medente concedi. »

4. — Etenim vero si Christus exterius cum totali gaudio ad passionem sustinendam se contulisset, quis credere potuisset, eum hac mortali et fragili carne nostra fuisse indutum; siquidem huic adeo est naturale et congenitum, ut jamjam imminentem mortem, illibenter, et cum tremore sustinent? Dionysius hactenus dicta confirmat, dum supra præcitatum Lucæ textum scribens ait[2] : « Non
« appetiit hoc secundum voluntatem suam divinam
« et increatam, quam habet ut Deus, quæ in ipso,
« et in Patre, et in Spiritu Sancto una est numero,
« sicut in tribus personis una est essentia; nec
« appetiit istud secundum suam voluntatem huma-
« nam deliberativam, superiorem et intellectualem-
« quæ proprie atque simpliciter nominatur volun-
« tas, nec secundum rationem; hæc enim voluntas
« et ratio animæ Christi fuerunt divinæ et increatæ
« voluntati semper conformes. Appetiit illud solum
« secundum appetitum naturalem et sensitivum. »
S. Thomas quoque in hac Christi prece naturalem notat humanitatis assumptæ appetitum; ait enim[3] :
« Ideo ut hominem se ostendat, petit transire cali-
« cem a se. » Christus enim omnibus sæculis ad

[1] Gen., xxvi, 27. — [2] Cajet., *in Luc.* — [3] Theophyl., *in Matt* — [4] Hugo Card., *in Luc.* — [5] S. Bern., t. I, s. 55, a. 1.

[1] S. Leo, s. v *de Pass.* — [2] Dion. Carth., *in Luc.* — [3] S. Thom.

finem usque mundi manifestum esse voluit, se verum esse hominem, passionibus et doloribus subjectum, sicut et nos sumus; simulque nos suo exemplo ad patiendum animare voluit. Porro si dux quidam exercitus pedestris, generoso insidens equo, vel in lectica, aut rheda vectus, milites præcederet; certe exiguum iisdem suggereret animum, ut ipsi per spinas et tribulos, prærupta montium præcipitia conscenderent. At vero si pedes incederet, sudaret, laboraret, simulque cum sudore sanguinem suum effunderet, nullus militum suorum adeo vilis futurus esset, qui non erubesceret, si illum non sequeretur. Eodem modo si Filius Dei, equo naturæ suæ divino insidens, in hujus vigore et virtute aggressus fuisset mortem, et tormenta sustinuisset absque ullo signo timoris, angustiæ, vel renitentiæ; quis spem concipere potuisset, quod illum imitaretur? Utique unusquisque credidisset, quod hoc, scilicet in tot cruciatibus imminentibus nullum prorsus habere sensum, divinæ suæ omnipotentiæ fuisset effectus, utpote cui propria est impassibilitas. At vero dum videmus illum contristari, agonizare, sudare sanguinem et in exhauriendo amarissimo illo calice repugnantiam habere; et tamen ut Patris adimpleat voluntatem, nostramque redemptionem consummet, semetipsum vincere; quis adeo ingratus erit, ut ei non compatiatur, simulque cum ipso ejus imitatione adversa quæque libenter sustineat?

5. — S. Paulus ait[1] : *Debuit per omnia fratribus assimilari* : ex qua Apostoli propositione consequens est, ut simul etiam timorem et moriendi nauseam in se assumeret. Rabanus ait[2] : « Suscepit voluntatem meam, suscepit tristitiam meam. Confi-
« denter tristitiam nomino, quia crucem prædico.
« Mea est voluntas, quam suam dixit, quia ut
« homo suscepit tristitiam meam. Ut homo locutus
« est et ideo ait : *Non sicut ego volo, sed sicut tu*
« *vis*, mea est tristitia, quam meo suscepi affectu. »

6. — Nonnulli sanctorum Patrum super verbum *calix iste* sese reflectentes, notant, Christum ad exhauriendum calicem passionis suæ, quantumvis nauseabundum, promptissimum tamen fuisse; solum detrectasse bibere calicem istum, non medicinam; et ideo dicit : *Calix iste transeat.* Nec illud distat a vero, inquit S. Ambrosio « si tristis erat
« pro persecutoribus, quos sciebat immanis sacri-
« legii pœnas daturos. Et ideo dixit : *Transfer*
« *hunc calicem a me.* Non quia Deus, Dei Filius
« mortem timebat, sed quia nec malos pro se pe-
« rire volebat. Denique ait : *Pater, ne statuas illis*
« *hoc peccatum,* ne exitialis esset populo passio
« sua, quæ esset omnibus salutaris. » Eamdem quoque sententiam sustinet S. Paschasius[4], qui ait, Christum deprecari voluisse, ne hic calix ei a synagoga Judæorum propinaretur, ut cui per tot sæcula tot modis benefecerat; prævidebat enim, quod exinde irreparabile super se provocaturi essent supplicium et ruinam; en verba ipsius : « Postulat
« non timore patiendi, sed misericordia prioris po-
« puli, ne ab illis biberet Calicem passionis. Unde
« et signanter ait : *Calix iste,* non quod calicem
« mortis refugiat, sed istum, qui a Judæis intende-
« batur, ne per eos, qui nullam excusationem ha-
« bituri sunt, fieret. »

7. — Origenes id ipsum ante omnes alios scriptum reliquerat; subjungit tamen, quod licet ob populi illius desolationem supra modum affligeretur, ex alia tamen parte immensum considerans fructum, qui ex passione sua resultaturus, phrasin mutarit, dicendo : *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*; ita enim scribit[1] : « Propter hos
« quos in passione sua nolebat perire, dicebat :
« *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.*
« Propter salutem autem totius humani generis,
« quæ per mortem ejus Deo fuerat acquirenda,
« dicebat quasi recogitans : *Sed non sicut ego volo,*
« *sed sicut tu.* » S. Hieronymus cujus testimonium D. Angelicus adducit, eamdem sustinet opinionem; ait enim ex ipso S. Thomas[2] : « Volebat igitur,
« quod transiret, id est, quod ita redimeret mun-
« dum, quod non esset delictum Judæorum. »
Verba autem S. Hieronymi sunt sequentia : « Unde
« et signanter non dixit : transeat a me *calix,* sed
« *calix iste,* hoc est populi Judæorum, qui excusa-
« tionem ignorantiæ habere non potest, si me occi-
« derit, habens legem et Prophetas, qui me quo-
« tidie vaticinantur. » Eumdem quoque pietatis sensum subito ut in cruce suspensus fuit, est contestatus; siquidem, ut suo loco dicetur, primum inter septem verba in cruce pronunciata, fuit benigna illa supplicatio, quam pro condonatione et indulgentia ingrati illius populi æterno Patri suo præsentavit dicendo : *Pater dimitte illis,* etc.

[1] Heb., ii, 17. — [2] Raban., *in Matt.* — [3] S. Amb., *ib.* — [4] S. Pasch., *ib.*

DISCURSUS XV.

VARIA CONSIDERANTUR MYSTERIA CUR PATRI DIXERIT TRANSFER CALICEM ISTUM A ME.

Idea sermonis. — 1. Hæc petitio processit ex nostro appetitu sensitivo. — 2. Christus in hac petitione sua vere fuit exauditus secundum desiderium cordis sui. — 3. Hæc petitio indicat conflictum sensualitatis humanæ, cum parte rationali. — 4. Christus hac petitione impediebat diabolum, ne se opponeret redemptioni nostræ. — 5. Christus hac oratione petiit ut dolores animæ, etiam transirent ad corpus. — 6. Christus ex desiderio patiendi petiit ut calix passionis velociter transiret. Christus non nauseavit calicem bibere, quasi illum detrectaret, sed ut meri

[1] Orig., *in Matt.* — [2] S. Hier. a S. *Thom.* cit.

tum suum augeret. Probatur hæc sententia variis similitudinibus. — 7. Christus petit ut fructus Passionis suæ transeat ad omnes qui pro illo passuri erant. — 8-9. In orando voluntas nostra semper subjici debet voluntati divinæ.

Transfer calicem hunc a me : sed non quod ego volo sed sicut tu. Marc XIV, 36.

1. — S. Bonaventura in hisce Redemptoris verbis fragilis, et doloribus renitentis humanitatis nostræ voces agnoscit, dicens [1] : « Hunc calicem « Christus bibere volebat voluntate rationis, sed « abhorrebat voluntate sensualitatis ; » adducitque S. Bernardum in sermone de S. Andrea Apostolo dicentem [2]: « Agnosco vocem ægrotorum, in medico « considero charitatem quando sic dignaretur nos- « tras in se suscipere infirmitates. » Cajetanus super Lucam scribens, considerat, Christum probe scivisse, se hunc bibiturum esse calicem, quem ardenter desiderahat, non tamen ipsum fuisse, qui loquebatur, sed naturæ nostræ appetitum sensitivum, qui suis in ipso partibus fungebatur : « Non « Jesu ignorantis eventum » inquit Cajetanus [3], « aut putantis posse aliter evenire, est hæc petitio, « sed agentis inferiorem partem animi, quæ pati « horrebat, cui repræsentabatur passio futura. » Origenes ante omnes alios in hæc verba scripserat [4]: « Non est secundum ejus substantiam divinam, et « impassibilem, sed secundum naturam humanam « ejus et infirmam; » atque ideo paulo ante dixerat [5]: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma;* caro enim humana debilis est et fragilis, et ideo pati exhorrecit, multo vero magis mori. B. Laurentius Justinianus similiter inquit [6] : « Assumpti hominis verba sunt hæc, non tamen ejus, qui a ratione pollet. « Origines in eodem tractatu dixerat [7]: « Proprium est omnis hominis fidelis primum « quidem nolle pati aliquid doloris, maxime quod « ducit usque ad mortem, quia homo est carnalis; » caro autem fragilis et infirma, recalcitrat, quando doloribus subjicitur.

2. — Quando Christus Lazarum ad vitam revocaturus erat, his verbis æternum Patrem suum affabatur [8]: *Sciebam quoniam semper me audis.* At vero dices : si ita est, quod scilicet Pater cœlestis Filium suum semper exaudit, nunc idem non solum lacrymis, sed et sudore sanguineo madidus orationem adeo ferventem trinies repetens, patitur ab æterno Patre repulsam ? Sed respondeo, nequaquam Filium Dei in oratione sua passum fuisse repulsam, quia non erat voluntas ejus rationalis, quæ hanc fundebat orationem, sed potius appetitus sensitivus quo Redemptor superior erat, utpote in quo *Spiritus* erat *promptus*, Hugo Cardinalis ait [1]: « In dicendo, « *Transeat,* monstrat quod humanum est. In dicen- « do : *Veruntamen*, edocuit virtuosum etiam natura « reluctante sequi Deum. » Et super illa verba apud S. Marcum : *Transfer calicem hunc a me,* ita scribit : « In hoc verbo exprimitur infirmitas hu- « manæ naturæ in Christo. Est ista petitio naturæ « infirmæ. Atque ideo immediate subjungit : *Sed* « *non quod ego volo, sed sicut tu.* » Porro certissimum est, nec ullus negare poterit, quin tunc aliquis vere exaudiatur, quando obtinet, quod secundum cor suum et voluntatem suam rationalem, non vero secundum sonum verborum suorum postulavit. Etenim si quis vitrum aliquod peteret, eique loco vitri pretiosus quidam daretur adamas, talis orans utique censeretur superabundanter auditus et exauditus. Verum quidem est, quod labia Christi, secundum naturæ nostræ suggestionem loquentia, hanc Deo petitionem proposuerint [3] : *Transfer calicem hunc;* verumtamen in corde et anima sua, divinam intendebat adimplere voluntatem utpote quam omnibus sibi imminentibus infinitis tormentis anteponebat. Lucas Brugensis citat S, Augustinum lib. III de *Consen. Evang.*, cap. IV, super illa verba : *Si possibile est,* ita scribentem : « Id est, si tua æquissima voluntas permittit. Non « orat ut dubius, sive de potestate, sive de volun- « tate Patris, sive de eventu, sed exprimit vehe- « mentissimum desiderium appetitus, seu voluntatis « naturalis in se, ita tamen, ut modis omnibus illud « subjiciat placito Patris. »

3. — Quod si quæsieris, cur Christus Petro passionem et mortem sibi dissuadenti indignabundus dixerit [4]: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum*, et tamen modo ipsemet supplicet, dicendo [5]: *Transfer calicem hunc a me* ? Respondeo quod quando ei notificata fuit paterna voluntas, quando appetitum sensitivum, cujus hæc vox erat in se represserat, calicem hunc acceptarit, imo avidissime illum biberit, utpote in quo suavissimum gustabat saporem. Adam primus homo, in horto quodam deliciarum, sive in terrestri Paradiso, contra Dei voluntatem pomum gustando, prævaricatus est, hic vero secundus Adam ad resarcienda a primo Adamo causata damna, paternæ voluntati se plenissime subjiciendo, suavem pomi vetiti gustum per libationem amarissimi calicis suæ pœnossimæ Passionis expiavit. B. Laurentius Justinianus ait [6] : « Sensualitati autem renitens ratio, constanter, in- « trepideque subinferebat, dicens : *Verumtamen* « *non sicut ego volo, sed sicut tu.* O quam mirandum « certamen ! O quanta pugna in mediatore Christo « carnem aspicere repugnantem spiritui, et spiritum

[1] S. BONAV., *in Luc.* — S. BERN., *de S. Andr. Apost.* [3] CAJET., *in Luc.* — [4] ORIG., *in Matt.* — [5] MATT., XXVI, 41. — [6] B. LAUR., *de triumph. Chr. agon.* — [7] ORIGEN., *ib.* — JOAN., XI, 42.

[1] HUG. CARD., *in Matt.* — [2] IDEM, *in Marc.* — [3] LUC. BRUG., *in Matt.* — [4] JOAN., XVIII, 11. — [5] MARC., XIV, 136. — [7] B. LAUR. JUST., *ib.*

« carni ! Tanquam si quispiam recubaret infirmus, « cui pro restauranda valetudine poculum amaris- « simum porrigeretur a medico, duplici hic deside- « rio traheretur evitandæ videlicet potionis et con- « sequendæ sanitatis ; suggereret ratio amaritudinis « haustum, quem omnino sensualitas abhorreret. « Porro quamdiu in hoc perduraret agone, an- « helo cruciaretur affectu, illa vero superior fieret « pars, cui consensus voluntatis insisteret. Eumdem « in mediatore nostro fuisse conflictum ambigat « nemo. »

4. — *Transfer calicem hunc.* Nonnulli hoc speciale a Redemptore inventum stratagema fuisse existimant, ut se astuto serpenti absconderet, ne sese redemptioni nostræ opponeret, aliquam passioni suæ injiciendo remoram seu impedimentum. Unde Theophylactus ait [1]: « Ut ignoret diabolus, et « invadat eum ut purum hominem, quo conficiatur « ipse morte, et sic conteratur. » S. Epiphanius, similiter ait [2]: « Non timuit mortem Christus. Pro- « vocat per hunc modum Christus adversarium, ut « illo opinante timere Salvatorem, inducat illi mor- « tem. » Ad eum fere modum quo expertus aliquis belli dux fugam fingit et simulat, ut insectantem se inimicum, intra sylvarum densitatem capere possit. S. Athanasius pariter hoc idem Christi artificium his verbis indicat : « In occulto habuit suam « Deitatem ne ille per formidinem vitato congressu « illæsus abiret, sed contra despicatim quasi cum « homine manus conserturus ad pugnam veniret « et inciperet supplantari. Non aliter quam si quis « animadversa in compare, atque æmulo suo formi- « dine secum decertandi, imbecillem se fingat, quo « illum pelliciat ad pugnam, et ille dum pro vera « habet illam simulatam imbecillitatem, audacter « in certamen prodeat, mox domandus illius gene- « rosi athletæ viribus. Ita quoque Dominus, sed « specie humanæ infirmitatis provocans adversa- « rium, hominem quem induerat, suis viribus, ad- « versus inimicum corroboravit. Atque ideo suæ « tempore mortis anxius esse, et mœrore cœpit, et « obsecrabat calicem transire ; clamabat, spiritum « quidem promptum esse, carnem autem infirmam, « ut adversarius noster cum eo, quasi cum homine « congressurus, vires ejus divinas experiretur. »

5. — *Transfer calicem hunc a me.* Non defuerunt, qui crederent, quod cum calix hic supra modum fuerit amarus, ipse vero jam de facto condignum pro nostra redemptione in doloribus suis solvisset litrum consequenter a divina justitia, tanquam possibile, postularit, ne ultra ad mortem et alia tormenta usque progrederetnr, sed huic jam datæ satisfactioni acquiesceret, et cum illa contentus esset. Unde Salmeron ait [4] : « Responderi posset, « ante hanc orationem Christum abundanter di- « vinæ justitiæ satisfecisse, et ita possibile erat non « bibere. » Porro S. Bernardus gravitatem calicis hujus in hæc verba expendit [1] : « Animæ tuæ tris- « titiam, quam ex imminenti passione tua sponte « assumpsisti, sicut et cætera, quæ passus es, in « auribus fratrum non erubuisti profiteri, dicens » tunc : *Tristis est anima mea,* etc. Positisque quo- « que in terram genibus, procidisti in faciem orans « in agonia, et dicens : *Mi Pater, si possibile est,* « *transeat a me calix iste.* Et augustias quidem cordis « tui certissime indicabat sudor ille sanguineus, « qui orationis tempore de carne tua sanctissima « guttatim decurrebat in terram. » Verum enim vero tantum abest, quod Christus hoc modo orando dolorum suorum postularit mitigationem, ut potius a Patre suo instanter petierit, ut cum dolores hactenus ad illud usque tempus solam transfixerint animam, deinceps etiam transmitterentur ad corpus per suam captivitatem, cum tot injuriis, et contumeliis conjunctam, per vincula, catenas, alapas, flagellas, sputa, spinas, clavos fel, cunctas alias acerbissimas pœnas, quæ post hanc orationem fuere subsecutæ. Hactenus dixerat : *Tristis est anima mea,* jam vero hora aderat, in qua etiam corpus suum acerbissimis cruciatibus subjicere parabat, adeoque Christo idem erat dicere : *Transfer calicem hunc* ac si dixisset : *Transeat ab anima ad corpus* ac proinde paulo post præ nimia augustia sanguinem sudare cœpit.

6 — In vita S. Catharinæ Senensis legitur [2] quod quando Redemptor noster in horto orans, ab æterno Patre suo petiit, dicens : *Transfer calicem hunc a me* non postularit passionis calicem a se auferri, siquidem hunc a primo conceptionis suæ instanti ardenter desideraverat, sed petierit, ut subito in se compleretur, quod tanto tempore expectaverat, velociterque calix ille transiret, quem tot vitæ suæ annis libarat, nec exhauriri poterat, nisi per actuale et integrum sui ipsius sacrificium ; ae proinde Judæ dixit : *Quod facis, fac citius.* Et vero licet desiderii sui calix sibi longe fuerit gravissimus et amarissimus, attamen tanquam obedientissimus filius Patri suo dicebat : *Non mea, sed tua voluntas fiat,* atque ita se Patri paratum offerebat, ad sustinendum et expectandum pariter, quantum sibi placuerit. Cumque F. Raymundus S. Catharinæ confessarius eidem opponeret, quod SS. Patres hæc Christi verba in contrario sensu exponerent, dicendo, Salvatorem ita orasse tanquam verum hominem, qui mortem timebat, ideoque petiisse a Patre, ut calicem passionis totaliter a se auferret, ne homines fragiles et infirmi spe destituti essent, quando sensualitatem suam mortem naturaliter formidare sentirent, sancta virgo eidem respondit : Actiones Christi talem in se continent abundantiam et ple-

[1] THEOPHYL., *in Matt.* — [2] S. EPIPH., *in Anchor.* — [3] S. ATHAN., or. in *Pass. et Cruce.* — [4] SALM., t. X, t. 12.

[1] S. BERN., *de Pass.* — [2] Vit. S. CATH. SEN., l. III, c. 3.